

## EPILOGUS

Qui, opitulante Deo, longam satis operosamque hanc Pastoralem Summulam descripsimus, exactum iter haud frustra perlustravimus. — Dominicae vineae Pastoris quoad privatam eius personam ideam [quae in eius sanctitate, caritate, prudentia, iustitia ac scientia continetur] uti tractationis nostrae fundamentum praestituentes, apprime exhibuimus. Eiusdem Pastoris, deinde, generalem ac peculiarem operam, quoad personas singulas in pastorali regimine rationem habentes [quo tum eius iura ac debita, tum eius circa ipsos relationes indigitavimus], fidei quantum potuimus ratione, tradidimus. — Ulterius vero procedentes, eius tum spiritualem, tum temporalem administrationem per partes delineavimus. — Perarduam sane rem, ad quam pro viribus conficiendam, nihil diligentiae et considerationis omisimus; siquidem probe eramus conscii hac tractatione regimini pastorali veluti fundamenta praestituenda, ac tum generales, tum peculiare ad rem rationes definiendas esse, et talia quidem ac tanta, quae si utcumque nutarent, aedificium omne gravi ruinae subiiceretur. — Quare ut ipsa quae dedimus fideliter teneantur, in Dominio obsecramus; haec, enim, si salva fuerint, universi, profecto, regiminis pastoralis finis assequendus propositus, in omnibus facile tenebitur, qui in eo est ut iustitia et charitas coniunctos triumphos insimul semper agant, ex quibus quantum in animarum utilitatem et salutem redundet, ipsi earum germani Pastores, felici experientia, comperient. Tu vero *qui legis intende et quae sequuntur diligenter et pie quantum potes; tales, enim, adiuvat Deus*<sup>1</sup>, ac tale in sanctarum ovium regimine bonum adiumentumque Sancta Dei exoptat Ecclesia, cui, in aevo et in aeterno, Pastorum fideliumque laus insonet.

A. M. D. G.

<sup>1</sup> S. Augustin. *De Vera Religion.* cap. 10.

## DOCUMENTA

AC

PARADYGMATA<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Ob praxim in Romana Curia frequentatam, in qua petitionibus non assentitur nisi ab Episcopalibus Curiis oblatis ac commendatis, quorundam horum paradygmatum necessitas pro Pastoribus multo minuitur, quippe quae diocesanis Curiis iam perspecta sint. Attamen cum his saepissime nonnulla scitu utilia ad exarandas preces habeantur, et cum quaedam a nuperrimis decretis exigantur, et eas operi nostro apponere haud abs re duximus. — Ex his quae asterisco notantur, eadem formulae sunt quibus in praesenti SS. RR. Congreg. utuntur; eorum vero ordo ex tractationis illum desumpsimus.